

¶ Et nichilominus incontinenti intromittatur et vendatur de bonis dicti procuratoris usque ad dictam solutionem completam. Et non ponere seu scribi facere in quaterno aliquo partem solutionis alicuius dacia sive affictus vel redditus comunis aut alicuius condempnationis aliter quam in totum. ¶ Item denuntiare dominio Tergesti omnes ementes dadium comunis, terminum sive terminos paghe et emptionem ea die vel sequenti termini suarum pagharum, etiam sub pena libr. vigintiquinque par. pro quolibet procuratore contrafatiente et vice qualibet contrafacta. ¶ Item non cancelare vel cancelari facere aliquam condempnationem alicuius debentis ire ad confinia, nisi primo denuntiaverit domino potestati vel vicario loco potestatis immediate talem personam ire debentem ad confinia, et nisi primo ille talis condempnatus missus fuerit ad confinia, etiam sub pena libr. quinquaginta par.; et nullam compensationem facere de aliquibus redditibus comunis, excepto quam super condempnationem per spetiale instrumentum alicuius debiti illius qui fuerit condempnatus. ¶ Et non exire extra civitatem Tergesti nisi in servitium comunis, etiam pena duorum Veneciarum grossorum pro quolibet procuratore contrafatiente et vice qualibet contrafacta, nec per dominium possit ei dari licentia, etiam pena centum sold. par. ¶ Item inquirere et exigere omnes possessiones et bona comunis, tam intrinseca quam extrinseca, coram dominio dum ei per aliquem fuerit nuntiatum, et si fuerit negligens ad inquirendum predicta, valorem dictarum possessionum et bonorum de suis propriis bonis etiam solvere et satisfacere teneatur comuni. ¶ Item luere omnem vedaticum et quamlibet aliam inpositionem per comune factam occasione cuiuscunque rei et quacunque de causa, et non recipere ultra suum salarium stabilitum occasione predicta. ¶ Item exigere totum ornaticum quod ponitur ante eius exitum, etiam pena solvendi de suis propriis bonis incontinenti pro rata illorum a quibus non exigerit, salvo si qui essent qui non haberent unde solvere. ¶ Item novo procuratori successori suo dare et consignare in scriptis residuum omnium // condempnationum vivarum et non cancelatarum que sibi remanserint tempore suo offitii. ¶ Item sumare et facere sumari